

scriptum est, illam eandem habet etiam, ex propositione undecima quinti (duae enim rationes uni sunt eadem) parallelogrammum, priori rectilineo aequale, ad id quod posteriori rectilineo aequale est, parallelogrammum, atque ex permutata ratione deinde, per propositionem 16 quinti, rectilineum ad parallelogrammum ut rectilineum ad parallelogrammum. Sed quia rectilineum in priori collatione, est suo parallelogrammo, ex structura aequale: & in posteriori sic, propter rationum similitudinem, rectilineum suo pa-





Figura posteriori similis & priori aequalis.

rallelogrammo aequale erit. quare & rectilineo alteri, huic parallelogrammo aequali, idem rectilineum aequale erit. Est autem & priori simile. Duobus igitur rectilineis descriptis, tertium iam, uni quidem simile, alteri uero aequale, idem rectilineum descriptum est, quod fecisse oportuit.


ΠΡΟΤΑΣΙΣ ΚΣ.

Εάν ἀπὸ παραλληλογράμμου παραλληλόγραμμο ἀφαιρεθῆ, ὁμοίον τε τῷ ὅλῳ & ὁμοίως κείμενον, κοινὴν γωνίαν ἔχον αὐτῷ. πῶς τὴν αὐτὴν διάμετρον ἔσται τῷ ὅλῳ.

PROPOSITIO XXVI.

Si a parallelogrammo parallelogrammum auferatur, & simile toti & similiter positum, communem angulum habens ei: circa eandem diametrum est toti.

Describatur parallelogrammum, ab eo deinde aliud, sibi simile similiterque positum, communem etiam cum totali angulum habens, parallelogrammum auferatur: dico, ablatum circa totalis paralle-



ogrammi diametrum consistere. Sumit hac propositio suam demonstrationem ab absurdo illo, Partem suo toti, uel contra, Totum suae parti aequalem esse, hoc modo. Ducatur ablati parallelogrammi diameter, ab angulo, quem cum totali communem habent incipiendo. Quod si hac, ulterius continuata, diameter etiam parallelogrammi totalis fuerit: uerum est quod dicit propositio. Si uero non, ducatur ab eodem communi angulo, si possibile sit, linea recta alia, quae sit totalis parallelogrammi diameter: puncto deinde intersectionis, huius diametri & lateris parallelogrammi ablati. linea, quae per ablatum parallelogrammum transeat, & insuper duobus